MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80597-26

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

ZASTRA, JULIUS

TITLE:

QUAESTIONES DE EURIPIDIS HERCULE...

PLACE:

BRESLAU

DATE:

1847

Master Negative #
92-80597-26

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


88ED
Z3
Q
Zastra, Julius.
...Quaestiones de Euripidis Hercule furente...
Breslau, Lucas, 1847.
22 p. 26 x 20 cm.

"Jahresbericht des Königlichen katholischen gymnasiums zu Breslau..."

88EE
Z6
v. 3
Another copy.
Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-27-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Jahresbericht

des

Königlichen katholischen Gymnasiums zu Breslau

für das Schuljahr 18$^{46}/_{47}$

womit zu der

den 11., 12. und 13. August zu haltenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

und der

auf den 14. August früh um 9½ Uhr festgesetzten

Schlußfeierlichkeit, bei welcher die Abiturienten entlassen, die Prämien vertheilt und die Versetzung der Schüler aller Klassen bekannt gemacht werden wird,

alle Vorgesetzten, Gönner und Freunde der Anstalt

ergebenst einladet

Dr. August Wissowa,

Director des Gymnasiums und Professor, Ritter des rothen Adlerordens, Mitglied der Gesellschaft für vaterländische Kultur.

Inhalt. 1) Quaestiones de Euripidis Hercule furente; scrips. Dr. J. Zastra.
2) Schulnachrichten vom Director.

Breslau, 1847.
Druck von Robert Lucas, Schuhbrücke Nr. 32.

QUAESTIONES

DE

EURIPIDIS HERCULE FURENTE.

SCRIPSIT

DR. IULIUS ZASTRA,

SUPERIORUM ORDINUM IN GYMNASIO REGIO CATHOLICORUM VRATISLAVIENSIUM
PRAECEPTOR, BIBLIOTHECAE PRAEFECTUS.

Euripidis tragoedias parum esse dignas, quibus explicandis opera impendatur, opinio est his quidem temporibus adeo vulgaris, ut qui unius alteriusve earum susceperit patrocinium, in rem parvi pretii ne dicam supervacaneam possit is videri laborem suum insumpsisse. Qua tamen opinione nihil timefactus, studia mea in unam illarum tragoediarum contuli, neque operam perdidisse mihi videor. Nec, mehercle, defuerunt, qui poetae illi legendo, interpretando, illustrando totos se traderent. Quid, quod longa saeculorum serie, ex quo litterae Graecae revixerunt, multo plures Euripidem quam Sophoclem adamaverunt? Quid quod in Baylii lexico ne uno quidem verbo Sophoclis tragoediarum fit mentio, dum Euripides summis effertur laudibus, infinitumque in modum celebratur? Vere hoc dicam, usque ad medium saeculum XVIII. Sophoclem incredibiliter neglectum, Euripidem iusto plus laudis esse adeptum. Lessingius tandem, Germaniae decus, vita Sophoclis ex veterum scriptorum fontibus descripta primus huius tragoediarum excellentiam praeclaramque compositionem indicavit, eumque tamquam ducem atque imperatorem innumerabilis exercitus secutus est eorum, qui clarissimi illius poetae tragici opera omni ex parte interpretarentur, pulcritudinemque paene divinam, quam admirationis pleni contemplamur, illustrarent. Ita factum est, ut quo plures Sophocli se addicebant, eo magis eorum, qui Euripidem sibi eligerent explicandum, minueretur numerus. Multo magis id fieri oportuit, quum in contentionem vocarentur Sophocles et Euripides, propterea quod, quum Sophocleae poesis ratio prorsus aliter esset comparata atque Euripidea, vix fieri potuit, quin huic iniuria inferretur. Instar omnium enim poetarum tragicorum erat Sophocles, a cuius arte qui paullulum recederet, nomine poetae paene indignus putabatur.

Iam ut nequaquam miramur, quod ita se habuit, sic his temporibus hanc sententiam aliquantum esse immutatam gaudemus. Nunc enim omnibus est persuasum, duos poetas inter se diversissimos viisque prorsus contrariis ingredientes, posse, ut palma sibi deferatur, efficere. Notum est dictum illud Sophoclis [1]), ab antiquis illis hominibus iure laudatum, se in suis tragoediis homines quales esse deberent, Euripidem quales vere essent in conspectum produxisse. Sophoclis tragoediae sunt imagines, quibus animus humanus, decerptus ex mente divina, praeclarissime depingitur et natura hominis maculis non contaminata apparet legesque quibus hominem ratione praeditum obtemperare oportet, omnesque ad unam hoc spectant, legem esse, qua nati simus, morum integritatem [2]). Apud Euripidem contra imaginem vitae quotidianae

1) cf. Aristot. Poët. c. 26. *οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοί εἰσιν.*
2) cf. O. Müller, Geschichte der griech. Litteratur. vol. II. p. 138. 139.

videmus expressam, ingens animi perturbationum vis, quas nemo Euripide melius descripsit, ob oculos ponitur, modus ille quo Sophoclis tragoediae ut quae maxime excellunt, non raro audacissime abiicitur. Quae cum ita sint, si quis ex me quaerat, utri eorum maiorem adiudicem honorem, Sophocli quidem multo maiorem deberi admirationem concedere non dubito, sed tamen Euripidem, quamvis ex certamine cum tanto adversario inito victor discedere non possit, studio nostro minime esse indignum acriter contendo. Nonne similis ratio est in poetis duobus, qui vere patriae nostrae ornamento sunt? Schillerum dico et Goethium, quorum alter homines excelsos, animo suo conceptos, egregie depingit, alter homines, quales vere sunt, in conspectum nostrum producit. Num, quaeso, quisquam eam ob rem Goethium reprehendit, quod non ut Schiller homines solito excelsiores finxerit? Quid quod Schillerum gravissime perstrinxerunt quidam, quod personis esset usus modum humanum quasi excedentibus?

Iam ego, ut eo revertar unde deflexi, inde ab illo tempore, quo primoribus quasi labris attingere coepi antiquitatis graecae pulcritudinem, poëtis scenicis paene omnem meam impendi operam neque quantum inde voluptatis ceperim, possum dicere. Ad Sophoclem quidem et Aristophanem imprimis studium meum adhibebam, neque tamen negligebam Aeschylum et Euripidem. Quum autem provincia mihi esset data, ut discipulis primae classi adscriptis Sophoclis interpretarer tragoedias, per quinque annos continuos in eis legendis industriam meam ponebam, itaque factum est, ut Trachiniarum fabulae consilium investigans atque finem, oculos converterem in omnes illas fabulas, in quibus poetae Herculem induxissent, constitueremque Euripidis fabulam, quae inscribitur Hercules furens, penitus perspicere. Adeo autem illa fabula delectatus sum, ut versionem Germanicam conficerem [3]), in cuius praefatione quod feci promissum, nunc servaturus sum. Duae igitur erunt partes, ex quibus constabit hic libellus quarum in altera Euripidi ab iis qui Herculem furentem ex duabus actionibus minime inter se cohaerentibus constare dixerunt, iniuriam esse illatam demonstrare conabor, in altera de locis quibusdam difficilioribus disputabo, ratione habita eorum, in quibus constituendis a Pflugkii sententia discesserim.

Iam aggredienti mihi ad refutandas reprehensorum Euripidis sententias nihil propius videtur esse faciendum, quam ut fabulae argumentum quam paucissimis fieri poterit verbis exponam lecturis, quo facilius quasi uno in conspectu omnia videntes possimus facere iudicium. Antea autem lectores benevolos monitos velim, me Euripidem solum ducem esse secuturum, omissis aliis iisque innumerabilibus fabulis quae de heroe illo clarissimo feruntur [4]), ex quibus eas tantum eligam, quae ad rem propositam demonstrandam cum idoneae tum necessariae visae fuerint.

Hercules, qui Megaram, Creontis, regis Thebarum, filiam in matrimonium duxerat ex eaque tres genuerat filios, Argos se contulit ad labores ab Eurystheo sibi

3) Der rasende Herakles, Tragödie des Euripides, im Versmaasse der Urschrift übersetzt von Dr. Julius Zastra. Breslau 1847.

4) cf. Praefatio ad Pflugkii editionem; Erschii et Gruberi Encycl. II. b. p. 8 sqq.; Pauly Realencyclopädie III. p. 1154 sq. O. Müller, die Dorier II. 411 sqq. Buttmanni Mythologus Vol. I. p. 246—272.

impositos fortiter exanclandos. Omnibus ceteris magna cum gloria perfunctus in Orcum descendit, unde arcesseret Cerberum, canem illum tricipitem. Ibi autem quum omnium spe diutius commoraretur, fama, eum mortuum esse neque unquam ad vivos esse rediturum per totam disseminata est Graeciam. Quo audito, Thebis seditio est exorta, qua Lycus, Euboea ex insula oriundus, callide utens, impetu facto Creontem interfecit, urbem suae subiecit potestati, quinetiam Herculis patrem, uxorem prolemque trucidare animum induxit. Hic rerum status initio huius tragoediae ab Amphitryone, quem uxoris puerorumque custodem reliquit Hercules, exponitur aeque ac miserrima in qua versetur totum Herculis genus, conditio. Ad senem de sorte sua flebiliter querentem accedit Megara, moerore confecta, interrogans, ecquam invenerit salutis rationem, quum ipsa iam omnem abiecerit spem. Tum senex, qui, id quod sane fieri solet, Megarae desperatione, ut se ipsum colligat, impellitur, consolatione mulieris animum demissum et oppressum erigere eique spem iniicere conatur, fore ut Hercules ab inferis revertatur. Sub haec dicta chorus senum Thebanorum procedit, qui miserum in modum virium defectum deplorant, praeteritae aetatis memoriam revocantes. Horrore eos affecit rumor, qui ad eos est perlatus, Lycum consilium Herculis pueros necandi cepisse, claraque voce puerorum sortem lamentantur. Interrumpuntur autem eorum voces lugubres a Lyco, qui consilii sui perficiendi incensus cupiditate appropinquat, senem Megaramque vehementer irridet, quod nondum desierint sperare, Herculem salutem esse allaturum, ipsum absentem Herculem acerbissimis afficit conviciis, arcu sagittisque, non hasta eum pugnare dicens, additque, non crudelitate se, verum prudentia, ut pueros necari iubeat, commoveri, ne quando ultores facinorum ab ipso commissorum exsistant. Tum Amphitryo, postquam filium ab opprobrio illo studuit defendere, precibus adit Lycum, ut pueris parcat, commonetque eum fortunae vicissitudinum. Graeciam etiam incusat ingrati animi, quae tantum absit, ut debitam gratiam Herculi persolvat, ut ne pueris quidem eius salutem afferat, et ira incensus se, si integris viribus neque senectute esset confectus, armis arreptis trans mare compulsurum fuisse tyrannum profitetur. Lycus vero his minis inanibus ne modice quidem tactus ligna conferri iubet ad rogum, quem conscendant miseri, exstruendum, senesque admonet, ne societatem cum Amphitryone ineant, quum mox futurum sit, ut temeritatis eos poeniteat. Verum senes, tyranni minis nequaquam timefacti, virus acerbitatis suae evomunt desiderantque vires iuveniles, ut ulciscantur eum, qui patriam ipsorum pessumdederit ipsisque servorum nomen imposuerit. Hortatur eos Megara, ne Lycum lacessentes in perniciem temere incidant, magnoque animo seni conatur persuadere, ut mortem voluntariam praeferat dedecori. Iam Amphitryo nurus precibus obsecundat quidem, sed obsecrat Lycum ut se Megaramque ante pueros mortem occumbere patiatur, et Megara ut sibi liceat domum intrare vestesque funebres pueris induere rogat. Quibus concessis discedit Lycus, Megara autem et Amphitryo domum ingrediuntur. Tum chorus Herculem celebrat, eiusque laudes ad sidera usque tollit, labores eius paene incredibiles enumerans. Quo carmine finito, Megara, Amphitryo, pueri vestibus induti funebribus domo egrediuntur, summoque moerore afflicti inter se valere iubent. Quo facto ad aram considunt. Hoc autem temporis momento, tamquam stella nautis spe omni destitutis ex tenebris

effulgens, Hercules apparet, qui, Cerbero ex inferis prolato et Theseo amicissimo in libertatem vindicato tantum consumpsit tempus, ut paene sero venerit. Iam certior factus a Megara de summo, in quo sui versati sint, periculo et de consiliis a Lyco captis, immensa ulciscendi cupidine correptus regem illum flagitiis coopertum obtruncare constituit eumque ad finem domum, ubi eum exspectaturus est, se confert. Senes, quibus necopinantibus laetitia est obiecta, nunc, quum Herculis reditum celebrare cupiunt, magis etiam iuventutem avolavisse queruntur, neque tamen, quin verbis gaudium enuntient, facere possunt. Ecce Lycus prodit, qui, morae impatiens, Amphitryonem domo egredientem, ut Megaram puerosque inbeat exire, impellit. Qui tamen quum, quo minus obsequatur, recuset, Lycus ipse, ut victimas arcessat miseras, domum ingreditur. Dum senes id, quod mox futurum est, praesagiunt, Lycus terribili clamore edito, criminum suorum poenam dat atrocissimam. Iam curis et sollicitudine soluti senes effrenatae sese tradunt voluptati, dithyrambicum carmen canentes, quo Thebas earumque viciniam ut Herculis virtutes collaudent, invitant. Sed heu! summa laetitia elati senes terrore afficiuntur, spectrum horrendum domo impendens conspicientes, unde calamitatem quandam divinitus missum iri suspicantur. Iam in fugam salutis causa se coniecturi sunt, quum repente Iris, Iunonis ministra, ad eos accedit, eorum reficiens animum; non urbi se Lyssamque [5]) afferre perniciem, sed contra unius Herculis genus se missas esse confirmans. Tum mandati Iunonis memor ad Lyssam comitem se convertit eamque incitat, ut ad insaniam adigat Herculem atque ad pueros stimulet trucidandos. Invitam se hoc munus suscipere ait Lyssa, ut in hominum amicos faciat impetum. Iridisque et Iunonis animum a suscepta depellere studet sententia, ne quando consilii eas poeniteat. Sed exhortationes nullam habent vim, et cum Iris pertinaciter in proposito suo perstet, Lyssa necessitate coacta exuit quam adhuc adhibuit misericordiam atque furore quasi agitata in Herculis domum properat. Senes repentino terrore quasi de gradu deiecti et Lyssae oratione de summo quod Herculi impenderet periculo certiores facti, dolorem suum cantu lugubri exprimunt. Iam dum animo anguntur necdum quid Hercules perpetraverit, sciunt, nuntius domo egreditur, qui senes percontantes omnia quae intus facta sint, edocet. Herculem narrat, omnibus ad sacra facienda comparatis, ad aram stantem subito insanum factum, filios suos, quos Eurysthei natos esse opinaretur, trucidavisse, uxoris pueros tueri conantis pectus sagitta transfixisse adventuque tantum speciei cuiusdam, quam Minervam fuisse coniicit nuntius, quominus patri manus inferret, esse prohibitum: iam humi prostratum somno sopitum iacere ab Amphitryone ad columnam alligatum, ne facinora facinoribus cumularet. Senes quorum inter luctum et timorem fluctuant animi, horrendo spectaculo (encyclemate enim domus est aperta, ita ut Hercules vinctus cadaveribus puerorum uxorisque occisorum circumdatus conspici possit) maximopere commoventur, claraque voce miserrimam Herculis sortem deplorant, monentur tamen ab Amphitryone, ut summissa utantur oratione, ne expergefactus ille vinculis se liberet et toti urbi afferat perni-

5) de Lyssa conf. Lobeck. ad Soph. Ai. v. 60. p. 103 ed. sec.

ciem. Tum Hercules somno aeque atque insania solutus neque eorum, quae perfecit, sibi conscius, conditionem suam miratur, quidque acciderit scire concupiscit. Amphitryo, qui filii amore et periculi metu in contrarias distrahitur partes, non prius quam filium insaniae vinculis non amplius teneri cognovit, prope ad eum accedere audet, eique terribilium rerum continuationem seriemque enuntiat. Tum Hercules, malorum undis effervescentibus quasi oppressus sibi ipse mortem vult consciscere, quod tamen quominus perficiat consilium, Thesei, amici carissimi adventu prohibetur. Qui quum nuntius ei esset allatus, Lycum Thebanae terrae regnum affectare, Herculi gratiae referendae causa cum exercitu appropinquans terribili cadaverum conspectu vehementer percellitur [6]), Amphitryonem percontatur, quid calamitatis acciderit, ab eoque de diro Herculis facinore docetur. Iam ad Herculem ipsum, qui pudore impulsus, ne a Theseo conspiceretur, caput obvolvit, convertit oculos, eumque, ne amicis faciem occulat, exhortatur. Hercules cedit amici precibus eique consilium moriendi aperit: se vitae onus amplius sustinere non posse, quum vitae turpitudo sit intolerabilis ei, quem summis antea homines affecerint honoribus. Theseus autem animum amici confirmans eum invitat, ut secum Athenas se conferat, ubi maximos consecuturus sit honores. Tandem Hercules, ne timidus appareat neve hominum contemptum sibi contrahat, magnum capit animum [7]), Theseoque se eum Athenas esse comitaturum pollicetur, itaque suum ipsius animum devincens uxorem puerosque mortuos et patrem valere iubens a Theseo adiutus discedit, quo facto senes lacrymas profundentes se praestantissimum amisisse amicum vehementer queruntur.

Iam singulas huius tragoediae partes perlustrantes quin earum multas pulcherrimas esse concedamus, facere non possumus. Quis est, quem Megarae, puerorum, senis tristissima sors non magnopere commoveat? Quis non intime admiretur excelsum animum Megarae non solum mortem contemnentis sed Amphitryonem etiam, ut mortem turpitudini praeferat, exhortantis? Quis Herculis inexspectato adventu non afficiatur summo gaudio? Quid quod omnibus rebus feliciter gestis Lycoque tyranno punito, horrore perfundimur, quum Lyssa prodeat, facem manu gestans? Quid dicam de illo temporis momento, quo Hercules suis occisis expergiscitur et quid manus suae perfecerint, animadvertit, quo quid gravius, quodque magis animum nostrum commoveat, potest cogitari? Quid commemorem Theseum, qui quantopere studium nostrum alliciat vix est quod moneam. Quid denique de Hercule dicam, qui vel summis malis se opprimi non patitur, sed invictum se praestat? Quid multa? Haec omnia ita sunt comparata, ut unumquemque, modo ne sensu pulcri prorsus sit alienus, summum inde capere gaudium oporteat. Verum ut singulas partes laude dignissimas esse quivis con-

6) Haec tragoediae pars, quae vehementer commoverit oportet spectatorum animos, habet nonnihil similitudinis cum illo loco in Shakesperii tragoedia, quae inscribitur Hamlet, (V, 2) ubi Fortimbras, Norvegiae dux Polonis subiectis, victoriam nuntiaturus est iis, qui terribili caede humi prostrati sunt.

7) Simile magni animi exemplum exstat in Lessingii tragoedia, cui nomen est Emilia Galotti (V, 8) Ibi Odoardus, filia occisa ad principem conversus: Sie erwarten vielleicht, inquit, dass ich den Stahl wider mich selbst kehren werde, um meine That wie eine schale Tragödie zu beschliessen? — Sie irren sich! cf. Hartungi Euripides restitutus Vol. II. p. 6. 7. Pflugkii praef. ad Herc. fur. p. 7.

cedat, tamen sunt, qui totam tragoediam adspergant macula. Dicunt enim, duas, ex quibus composita sit tragoedia, partes nullo adstrictas esse vinculo. Vituperant igitur poetam, quod duas actiones, quarum una ex altera non necessario proficiscatur, conglutinaverit. Posse hanc utramque partem per se ipsam nominari tragoediam, sed desiderari cogitatum aliquod, ex quo tota explicari possit fabula. Huic opinioni addicti sunt: Lessingius [8]), A. W. Schlegelius [9]) I. H. Bremius [10]), Odofr. Muellerus [11]), G. Bernhardyus [12]), quibuscum aliqua ex parte F. de Raumer [13]) videtur consentire.

Videamus nunc, num viri illi docti iure meritoque reprehenderint poetam. Vere duas esse partes, in quas dividi possit tragoedia, nemo concedere dubitaverit. In priore parte, quae pertinet ad versum 814. usque, Megarae Amphitryonisque Herculem frustra exspectantium desperatio, Herculis reditus Lycique caedes exhibetur, in posteriore videmus Lyssam in Herculis domum irruentem, Herculem furentem, suisque occisis sollicitudine excruciatum unaque cum Theseo Athenas discedentem. Primo quidem obtutu res videtur ita se habere, ut vix facere possimus, quin cum viris supra dictis faciamus. Sed rem diligentius pensitantes facile eo adducimur, ut Euripidem ab opprobriis illis defendere posse nobis videamur. Iam quaerentibus nobis, quid fuerit, quo Herculi tantae imponerentur aerumnae, quantas eum per totam fabulam perpeti videmus, Iunonis ira haec omnia effici, est respondendum.

Iupiter, ut ex fabulis illis antiquis hanc rem repetamus, amore Alcmenae, Amphitryonis uxoris, incensus, Olympo relicto, mariti absentis specie utens ignaram nuptam decepit genuitque puerum, qui esset hominum defensor. Quo facto Amphitryo, qui iureiurando sese obstrinxerat, non prius se quam Taphios, Alcmenae fratrum occisores ultus esset, esse cum ea concubiturum, rediit. Ita factum est ut Alcmena duos pareret pueros, quorum unus vere Iovis filius poterat nominari, quamquam ab aliis pro Amphitryonis nato habebatur [14]). Iuno, sollicita propter alienum coniugis amorem, cupidissima erat occasionis irae suae explendae, quae mox est oblata. Eo enim die quo Alcmena partum erat editura, Iupiter coram diis congregatis, hoc ipso die virum in lucem editum iri qui toti generi Iove orto dominaturus esset, indicavit [15]). Iuno autem, invidiae plena, dolum excogitavit et postquam Iovi persuasit, ut per Stygem verba sua confirmaret, Eurystheum, Stheneli filium priorem nasci iussit itaque Iovem vehementer decepit. Inde Hercules Eurysthei subiectus erat imperio. Iuno autem tantum abfuit, ut hac in re acquiesceret, ut quantum posset Herculem persequeretur.

8) Lessing's sämmtliche Werke. Carlsruhe 1823. Vol. 15. p. 112.

9) A. W. Schlegel's Vorlesungen über dramat. Kunst. Vol. I. p. 253.

10) Allgemeine Schulzeitung 1828. II. p. 1193.

11) O. Müller, Gesch. der griech. Litteratur. Vol. II. p. 165.

12) Bernhardy, Grundriss der griech. Litteratur. Vol. II. pag. 881.

13) F. v. Raumer Vorlesungen über die alte Geschichte, in appendice; denuo edendas curavit animadversiones suas in libro qui inscribitur: Historisches Taschenbuch 1841, Randglossen eines Laien zum Euripides. pag. 191. sqq.

14) cf. Homeri Il. V, 392. XIV, 323. Od. XI, 266 sqq. Hesiod. Scut. Herc. vv. 1—56. Apollod. Bibl. II, 4, 6.

15) Homer. Il. XIX, vv. 100—124.

Ad cunabula eius duos angues immensae magnitudinis misisse narratur, quos tamen infans Hercules digitorum nodis suffocavit, praeclara futuri temporis facinora significans [16]). Adolescens, multis rebus praeclare gestis, Hercules ab Eurystheo arcessitus atque labores gravissimos suscipere iussus, recusavit servitutem, quum autem oraculo accepto ex voluntate deorum suscipiendos esse illos labores cognovisset, summo afflictus est luctu, quem Iuno ita auxit, ut in furorem incideret [17]).

Deinde una cum excellentissimis Graecorum viris navem conscendit Troiamque navigavit, qua urbe capta redieus tempestate per Iunonem excitata a cursu suo abreptus est [18]). Non paucos adiicere possum locos quibus Herculem a Iunone irata vehementissime fuisse exagitatum appareat, sed quid multa? Ad locos potius ex ea, de qua loquimur, tragoedia depromptos me converto, quibus Iunonis irae distincte fit mentio. Sunt autem hi: v. 20. Amphitryo Herculem sive Iunonis sive fatali vi coactum labores illos suscepisse dicit. Id autem, quod Amphitryo in medio relinquit, nos certum esse scriptorum locis supra allatis docemur.

V. 827—842 Iris Iovem narrat priusquam Hercules labores ad finem perduxisset, Iuno vel Iris ut eum vexarent non permisisse, sed quum iam perfunctus sit omnibus aerumnis, Iunonem eum ad liberorum sanguinem profundendum esse stimulaturam, ut Iunonis Iridisque iram cognoscat; deorum, inquit, potestas evanescet, hominum autem magna erit vis, nisi hic poenas dederit.

V. 1127. Amphitryo ex Hercule, qui uxore liberisque occisis moerore oppressus de statu suo certior fieri cupit, nonne videat haec omnia ab Iunone esse profecta quaerit.

V. 1189. Theseus adveniens, simulatque stragem ab Hercule editam conspexit, exclamat: Haec est Iunonis plaga! versuque 1312 hanc suam sententiam confirmat.

V. 1253. Hercules, cui Theseus consilium sibi ipsi mortem consciscendi dissuadet, eumque monet beneficiorum quae apud homines collocaverit: at hi, inquit, nihil me adiuvant, penes Iunonem est imperium.

V. 1263. Hercules ipse se Iunoni invisum esse dicit.

V. 1304. Hercules, quem vitae taedet, non sine summa indignatione invehitur in Iunonem, quae principem totius Graeciae virum exstinxerit.

Iam si omnia quae adhuc protuli, inter se conferimus testimonia, per totam tragoediam Iunonis iram Herculis capiti quasi impendere videmus. In priore quidem parte Hercules laboribus est occupatus ab Eurystheo sibi impositis, quibus perfectis ab inferis redit, salutem suis afferens, in posteriore suis necatis moerore affectus mortem sibi consciscere vult. Ubique igitur Iunonis potentiam conspicimus; haec enim, ut labores ab Eurystheo ei imponerentur, effecit et Lyssam misit, quae Herculem in furo-

16) Pindar. Nem. I, v. 39—47. (Dissen) Theocr. Idyll. XXIV. Apollodorus, II, 4, 8, Pherecyde auctore, angues illos lecto puerorum iniectos esse narrat ab Amphitryone, uter puerorum natura divina instructus esset, sciscitaturo.

17) Apollod. Bibl. II, 4, 12. De Herculis furore discrepant inter sese scriptores cf. Ersch. et Gruber. Encycl. II, 6. p. 16. not. 63.

18) Homer. Il. XIV. v. 250. seq. XV, v. 18—30.

rem truderet. Coniunguntur autem commode ambae tragoediae partes Iridis oratione vv. 822 seq. non prius enim dicit Iovem concessisse, ut Iuno impetum faceret in Herculem, quam omnibus ille laboribus esset perfunctus. Quod autem Bremius l. c. contendit, non unam sed duas proprie esse tragoedias, non recte mihi videtur statuisse vir doctus; etenim si fabula v. 814. conclusa esset, certo unusquisque aliquid desideraret, esset enim nobis persuasum, Iunonis iram prolatam tantum non prorsus sublatam fore, neque illam prius quieturam fuisse quam maxima in Herculem cumulasset mala. Altera autem pars, nisi vehementer erro, minime possit haberi pro tragoedia, quippe quae omni careat initio. Huc videtur accedere, quod illi terroris et misericordiae sensus, quos poetae tragici maxime student concitare, in hac tragoedia magnam habent vim in animos nostros, id quod haud dubie multo minus esset futurum, si tragoedia versu 814. esset ad finem perducta. Utrius enim magis nos miseret, eius qui post multas magnasque miserias tranquillitatem postremo consequitur, an eius qui omnes molestias vicisse sibi videtur, et subito fati vi inexorabili in malorum voraginem praecipitatur? Non difficile esse ad respondendum quivis mihi concesserit. Iam Hercules qui ex tot tantisque pugnis victor discessit et sperat fore ut tamquam ex longa navigatione in portum veniat, denuo tempestatum vi in altum quasi retruditur mare, ubi maiora pericula monstraque minantia eum circumdant.

Ceterum haec tragoedia non unicum est exemplum irae numinis, in qua positum sit totius fabulae quasi momentum. Quis est, cui non veniat in mentem Aiacis Sophoclei? Nonne tota haec fabula ex ira pendet Minervae? cuius causam exponit nuntius a Teucro missus, ut Aiax eo ipso die in tentorio retineretur [19]). Quum enim Aiax Troiam esset profecturus, pater eum ut vinceret, sed deo tantum adiutore vinceret, est hortatus. Aiax autem respondit, deorum auxilio vel imbecillum virum victoriam posse referre, se vero etiam sine diis gloriam se assecuturum esse sperare. Tum Minervam eum, ut hostes aggrederetur, impellentem, hoc modo est allocutus: Dea, inquit, aliis succurre, ubi ego constitero, hostes non perrumpent. His superbe dictis deam lacessivit, quae inde ab hoc tempore eum infesto persequebatur animo et quum Ulixem Atridasque ulciscendi gratia in castra Graecorum prorumperet, mente eum privavit. Quivis igitur qui attento animo hanc Sophoclis tragoediam perlegerit, concedat oportet, ex ira Minervae omnia, quae Aiaci accidant, proficisci. Iam respicienti mihi ea quae adhuc in medium protuli animoque reputanti id pro certo videtur statuendum esse, iram Iunonis esse vinculum, quo singulae fabulae Euripideae partes inter se connectantur. Sed ut omnes, contigisse mihi, ut hoc demonstrarem, consentiant, tamen aliquid praeterea desideratur. Cuiusvis enim tragoediae quasi fundamentum quo nitatur, cogitatio quaedam vel sententia esse debet. Quocirca nobis obiicitur quaestio, quaenam inveniri possit cogitatio, qua huius tragoediae summa contineatur. Quam ad quaestionem quo melius possimus respondere, non praetermittendum esse puto, quin paucis reputemus tragoediae argumentum. Hercules quem implacabile Iunonis odium urget, postquam labores illos a choro senum celebratos voluntati oraculi obtemperans

19) cf. Sophocl. Aiac. v. 748. seq. (Lob.)

suscepit, susceptos perfecit, hominesque maximis liberavit periculis, domum redit, tyrannumque qui regnum sibi arrogavit, obtruncat. Tantum vero abest, ut placidae se dare possit paci, ut eiusdem numinis ira iterum exagitatus in insaniam incidat, ita ut uxorem liberosque mentis non compos trucidet. Iam animum inducit vitae miserias effugere, sed magnus eius animus opprimi non potest, immo vitae asperitates tolerare quam timiditatis atque ignaviae opprobrium contrahere mavult. Ecce magni atque excelsi viri imago, qui audaci animo malorum onus tolerat neque aut deorum aut hominum insidiis quominus finem propositum assequatur, potest deterreri [20]). Sic haec tragoedia aliqua ex parte cum Aeschyli Prometheo vincto possit comparari, quamvis probe sciam, vix quemquam attingere posse Aeschyleae tragoediae maiestatem.

Etsi autem hoc fuisse consilium Euripidis in componenda hac tragoedia mihi persuasi, tamen ne praetermittam sententiam meam de extrema tragoediae parte, animus me impellit. Herculem Thebis discedentem Athenasque cum Theseo se conferentem videmus. Cur autem, quaeso, Athenas potissimum se confert, cur Theseus, Athenarum rex, ut Hercules Thebis relictis ipsum comitetur, efficit? Consulto hoc ab Euripide ita esse institutum, nunquam hanc sententiam mihi eripi patiar. Haud dubie Athenas celebrare immortalique gloria condecorare voluit eo, quod virum totius Graeciae excellentissimum, quem omnes Graecorum gentes honore divino colebant, Athenis habitaturum fecit. Commode autem haec patriae suae amplitudinis illustrandae ei oblata est occasio, quod Theseum ab Hercule ex inferorum vinculis ereptum esse fama exstabat. Induxit igitur poeta Theseum cum exercitu Herculi auxilio venientem, ut illi auxilii praestiti referret gratiam. Huc accedit, quod Athenienses vere Herculem ut deum coluerunt. Scimus enim, Athenienses primos ei sacra magna obtulisse, altaria templaque exstruxisse, dies festos in eius honorem instituisse, quinto quoque anno celebratos, quibus nomen esset *Ἡράκλεια* [21]). Huius igitur Herculis colendi rationis originem Euripides in hac tragoedia videtur respexisse. Simile quid est in Sophoclis Oedipo Coloneo, ubi poeta antiqua illa fabula perbene usus est ad Athenarum laudes efferendas [22]).

Brumoeus [23]) intimam Herculis Theseique amicitiam putat esse totius tragoediae finem atque consilium, verbisque ultimisque ab Hercule pronunciatis hanc stabilire conatur sententiam, quam Lessingius [24]) in dissertatione de Senecae tragoediis, ubi Euripidis tragoediam cum Senecae fabula eodem nomine instructa comparat, optime eo refutavit, quod sic multo maiorem tragoediae partem supervacaneam esse dixit.

20) cf. Buttmanni Mythologus I. dissert. de fabula Herculis p. 267.

21) cf. Diod. Sic. IV, 39. *Ἀθηναῖοι πρῶτοι τῶν ἄλλων ὡς θεὸν ἐτίμησαν θυσίαις τὸν Ἡρακλέα, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις παράδειγμα τὴν ἑαυτῶν εἰς τὸν θεὸν εὐσέβειαν ἀποδείξαντες προετρέψαντο τὸ μὲν πρῶτον ἅπαντας Ἕλληνας, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἀνθρώπους ἅπαντας ὡς θεὸν τιμᾶν τὸν Ἡρακλέα.* Pausan. IX, 32. Polluc. Onom. VIII. c. 9. Plut. Thes. c. 35. Meursii Theseus p. 122. Otfr. Mueller. Dorier Vol. II. p. 438.

22) cf. Bernhardy, Grundriss der griech. Litter. II. p. 809.

23) Brumoy, Théâtre des Grecs. A Paris 1733. tom. II. p. 722.

24) Lessing's Werke. Vol. XV. p. 123. 124.

Iam priore libelli mei parte absoluta quosdam Herculis furentis locos tractabo, tum criticae artis rationem habens, tum explicationi operam impendens, quum iudicium meum de ratione veteres scriptores recensendi studiis mihi commendata atque comprobata paucis illustravero. Censeo autem, ut statim ab initio dicam quod sentio, librorum scripturam non esse mutandam, nisi quum verba ab illis exhibita aut nullam aut scriptore prorsus alienam praebeant sententiam. Ubicunque locum ita comparatum invenimus, ibi mendum aliquod subesse licet suspicari, et quum spe ex codicibus veram scripturam eruendi destituimur, coniecturam admitti fas est. Tamen hac in re ne nimis sagaces et subtiles simus, magno opere est cavendum, quum facile fieri possit, ut verum indagandi studio abrepti scriptoris opus plane immutemus, id quod minime artis est criticae, qua quid vere scriptor in medium protulerit, non quid scribere potuerit, sit efficiendum. At quamquam haec res tam clara est atque perspicua, ut primo obtutu comprobari posse videatur, tamen fuerunt et sunt etiamnum, neque ii linguarum antiquarum imperiti, qui scriptura librorum neglecta suarum opinionum commenta scriptoribus Graecorum Romanorumque attribuere non dubitent. Sed dixerit aliquis, interdum locos inveniri, quos ut scriptore, quem ardentissimo amplexi simus studio cuiusque interiorem nobis comparaverimus notitiam, non satis dignos esse credamus, adducamur, nonne eos abiudicandos esse scriptori concedi oportere? Non semper! inquam. Certe non sine summa cautione est agendum. Etenim quoto cuique contigit, ut se scribendi genus alicuius scriptoris adeo quasi imbibisse, ut quovis pignore locum quendam ab eo non esse profectum contendere posset, sibi persuaderet? Praeterea ne id quidem omittendum est, cuius Horatius mentionem facit [25]), interdum vel optimo poetae, excellentissimo historico, oratori clarissimo humani quid accidere posse. Quis enim, quamvis summa cum admiratione colat fulgentissima illa humanitatis lumina, nihil ab iis originem traxisse, quod pulcrius vel aptius possit exprimi, contendat? Sed haec hactenus. Iam ad singulos, de quibus iudicium facere constitui, transeundum est locos.

V. 6. *Τεκνοῦσι,* quod libri exhibent, Pflugkius mutandum esse censuit in *οἰκοῦσι,* quod ei non videretur hoc verbum accipi posse pro cultoribus frequentem facere; hanc autem coniecturam non solum supervacaneam esse, sed ne probari quidem posse, bene ostendit Witzschelius [26]), librorum autem scripturam, quae bonam praebeat sententiam, retineri posse, Klotzius in praefatione ad Herculem furentem p. II. demonstrat. Perquam similis sententia exstat v. 795. 96. *ὃς γᾶν τέκνων τέκνοις μεταμείβει.*

V. 89. Pflugkio placuit coniecturam Reiskii Heathiique *περαίνειν* pro *παραινεῖν* accipi; sed cur codicum scriptura temere sit respuenda, non videre me fateor. *Παραινεῖν τι* non raro invenitur pro consilium dare, velut Soph. Oed. Col. v. 1181 (Neuius) *κεἰ νέα παραινέσω.* Antig. v. 1326 *κέρδη παραινεῖς.* Aesch. Pers. v. 220 (Well.) *ταῦτά σοι παρῄνεσα.* Arist. Nub. v. 89 *ἃ 'γὼ παρῄνεσα.*

V. 120—122. Libri exhibent: *λέπας ζυγηφόρον πῶλον ἀνέντες, ὡς βάρος φέρων τροχηλάτοιο πώλου.* Mendum latere in his verbis omnes editores recte observant, sed

25) Horat. epist. ad Pis. v. 360.
26) Jahn's Jahrbücher. Vol. XXXV. p. 268.

quomodo sit tollendum, non omnes idem sentiunt. Mihi Fixii mutatio maxime arrisit, quam, *κόπῳ* in *πόνῳ* mutato et verborum positione paullulum immutata amplexus sum. Iam vero postquam Hartungi censura [27]) editionis Parisiensis mihi innotuit, quam non ante versionem meam germanicam prodiisse doleo, sententiam meam cum huius viri docti coniectura commutavi. Censet quidem Hartungus l. c. p. 248 in *τροχηλάτοιο* vocabulo mendum esse occultum et librarii errore *φέροντ' ὄχου τροχηλάτοιο* in *φέρον* (vel *φέρων*) *τροχηλάτοιο* abiisse, neque ego quidquam quod magis ad sententiae simplicitatem aptum sit, excogitari posse puto. Quo accedit, ut omnium coniecturarum, quae adhuc in medium sunt prolatae, nulla quam Hartungi minus immutat sonum ordinemque verborum. Praeter illud enim iam commemoratum vocabulum nihil nisi *ὡς* in *οὗ* mutatum voluit Hartungus. Sententia autem quam hac ratione accipimus, haec est: quasi remittentes equum iugum ferentem qui currus onus rotis acti tolerare non potest.

V. 139. Vulgatam scripturam *παρόντα* Musgravius mutavit in *περῶντα*, quem secuti sunt editores tantum non omnes. Pflugkius, recepta hac coniectura, in annotatione critica ad hunc locum pro *πέλας* sibi aptius dicit videri *πύλας*. Klotzius [28]) *πέλας* defendit, consentitque cum eo Fixius, quod, *πύλας* scriptura retenta Lycus ex Amphitryonis aedibus egredi dicatur. Hartungus [29]) perstringit eum interrogans, unde Lycus egredieus fingi possit. Non recte, opinor. V. 329. 330. enim Megara, quae vestes funebres sibi puerisque induere vult, fervidissimis Lycum adit precibus, ut aedes aperiri iubeat, quod ipsi sint exclusi neque aditus aedium sibi pateat. Quodsi Lycus ex Amphitryonis aedibus egressus esset, non puto eum portam clausurum fuisse, propterea quod praesens ipse facillime quominus Megara domum ingrederetur, poterat prohibere. Quae si ita sunt, Megarae preces haud dubie sunt supervacaneae. Sed quamquam hac in re assensum retineo, non possum tamen non consentire cum Hartungo dicente, *περᾶν δομάτων πέλας* vix dici posse. *Περᾶν* enim significat transgredi vel egredi, non adire. Quapropter vulgatam scripturam revocare haud scio an praestet, quippe quae commodam admittat interpretationem. Lycus iam sub finem parodi advenit et prope aedes stans a choro conspicitur, ita ut optime dici possit *παρὼν δωμάτων πέλας.*

V. 149. In libris hic versus ita exhibetur, ut duae desint syllabae, quas Erfurdtius *θεὸν* vocabulo supplendas coniecit, eumque secuti sunt Hermannus, Matthiaeus, Dindorfius, Witzschelius, Fixius, neque ego hoc supplementum valde probabile iudicare dubito. Facile enim potuit fieri, ut librarius duobus vocabulis simili modo desinentibus (*νέον θεὸν*) lapsus alterum eorum omitteret. Quare Pflugkii coniectura *ἐκοινώνει λέχους*, quantumvis sit ingeniosa, possumus carere. Hartungus autem l. c. p. 248 *νέον θεὸν* plane reiicit, causa adiuncta, quam haud scio an probaverit nemo. Non infitior quidem, tota fabula novi dei Herculis nullam fieri mentionem, id quod ne opus quidem fuit, sed inde minime videtur colligi posse, Amphitryonem clarissimo illo summi Iovis consortio non gloriatum fuisse. Quod si vere Hercules Iove

27) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 1847. Nro. 31 et 32.
28) In praefatione ad Herc. fur. p. IV.
29) Zeitschr. für d. Alterth. 1844. Nro. 32 et 1847. Nro. 31 p. 248.

natus fuit, non sine iusta causa deus vocabatur et quidem novus deus, ut opponeretur diis illis maiorum gentium. Simili ratione apud Aeschylum novorum deorum genus, cui Iupiter adnumeratur, veteri illi deorum progeniei opponitur, velut Prom. v. 149. *νέοι γὰρ οἰακονόμοι κρατοῦσ' Ὀλύμπου.* V. 437 *θεοῖσι τοῖς νέοις τούτοις.*

V. 168. Pflugkius librorum scripturam *τιμωροὺς ἐμοὺς* temere videtur mutavisse in *τιμωρὸν δόμοις*, de quo Klotzius [30]) luculente disseruit, qui unum idque aptissimum poterat adiungere exemplum ex Sophocl. Electra v. 343 (Neuius) *τἀμὰ νουθετήματα* [31]).

V. 268. Libri manuscripti pariter atque editiones antiquissimae praebent:

Ὦ δεξιὰ χείρ, ὡς ποθεῖς λαβεῖν δόρυ
Ἐν δ' ἀσθενείᾳ τὸν πότμον διώλεσας.

Iam quid significarent verba *τὸν πότμον διώλεσας*, nemo adhuc intelligere potuit, neque mihi ut ex verbis illis diligenter consideratis sanam depromerem sententiam, contigit. Restabat igitur scriptura illa a Plutarcho [32]) recepta, *τὸν πόθον διώλεσας*, quam omnes recipere non dubitaverunt, quae tamen mihi nullo modo ab Euripide videtur originem traxisse. Duae quidem sunt causae, quibus quominus haec genuina esse Euripidis verba credam impedior, quarum altera in fide scriptoris, qui illa servavit, minus firma, altera in sententia ipsa est posita. Quum enim constet, certe veri simile sit, scriptores illos posteriores, ut Plutarchum, locos, quos ex antiquis scriptoribus afferunt, memoriter citavisse, non ita magna iis locis est tribuenda auctoritas, certe summa circumspicientia est utendum in eis recipiendis. Quapropter si eiusmodi locus aliqua ex parte alienum videtur, respui eum oportet. Iam hic locus a Plutarcho allatus mea quidem sententia nullo modo recipi debet. Quid enim dicunt senes? O dextra manus, quam cupis hastam arripere, imbecillitate autem desiderium amisisti: quae quam perversa sint, miror esse quemquam quin intelligat. Senes enim teneri se desiderio, simul se amisisse desiderium dicunt, sibique ipse duobus versibus adversantur. Duplici autem via ingredi possumus, ut loco afferamus medelam: aut *ποθεῖς* in imperfectum mutantes, quo facto senes summo cum dolore ad tempus praeteritum respicientes finguntur et haec exsistit sententia: O dextra manus, quam desiderabas, (praeterito illo tempore, quum iuvenis eram) aut ad coniecturam refugientes. Priore via autem statim tamquam in mare procellosum periculorumque plenum propellimur.

Nam imperfecto *ἐπόθεις* v. 267 pro *ποθεῖς* posito anapaestus exoritur sede quarta, ubi tragicos graecos ab eo abstinuisse neque eum nisi sede prima et quidem plerumque in nominibus propriis admisisse constat [33]). Quapropter nihil restat nisi ut coniectura huius loci restituere conemur integritatem. Quid autem, quaeso, propius abesse potest a librorum vestigiis quam *τὸν πόνον διώλεσας*, id quod in contextum

30) Vid. praefat. p. VI.
31) cf. Matthiaei Gramm. Gr. § 466, 2.
32) Plutarchus in libro: Num seni gerenda sit respublica. (Hutten XII. p. 125.)
33) cf. Hermanni Elem. doctr. metr. p. 119. seq. Freese Metrik. p. 177. seq.

recipi posse existimaverim. *Διολλύναι* verbum, cuius propria significatio est perdere, in Sophoclis Oedipo Tyr. v. 318. eleganter positum est pro *ἐπιλανθάνεσθαι*, ut a scholiasta explicatur. Exstant quidem praeter hoc unum nulla huius usus exempla, sed hoc unum videtur sufficere, quo accedit, ut exemplorum ex analogia petitorum satis magnus inveniatur numerus. *Σώζεσθαι* vel *σώζειν* enim saepe nihil aliud denotat nisi meminisse vel memoria tenere [34]), unde sequitur, ut vocabulum contrariae notionis *διολλύναι* significare possit oblivisci [35]). Quae cum ita sint, optima efficitur sententia ea quam promulgavi coniectura: *πόνον διολλύναι* enim est laborum oblivisci, ita ut sententia amborum versuum sit: O dextra manus, quam cupis arripere hastam, sed imbecillitate oblitus es omnium laborum i. e. omnium, quae praeterito perfecisti tempore. Quum autem rarior esset haec verbi *διολλύναι* significatio, facile fieri potuit, ut librarius, qui de verbis explicandis desperaret, mutatione opus esse sibi persuaderet.

V. 305. *ὡς τὰ ξένων πρόσωπα φεύγουσιν φίλους*
ἓν ἥμαρ ἡδὺ βλέμμ' ἔχειν φασὶν μόνον.

